



**R. P. Christophori De Ortega È Societate Iesu, Quondam
Scolasticæ Theologiæ publici Professoris, ac ejusdem
Facultatis Præfecti ... Theologia Controversiarum
Dogmaticarum, & Scholasticarum, de Divina ...**

**Ortega, Cristóbal de
Lugduni, M.DC.LXXX.**

II. An potentia intellectiua (idem esto de volitiua) veram physicam, &
absolutè talem respectu sui actus prioritatem habeat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94274](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94274)

gent. cap. 28. (ex quibus locis contra nostram sententiam obici solet) negans in voluntate Dei potencialitatem: quasi (inquit) consideretur in potentia ad verumque: et primo sit volens, potentia, & postmodum actu volens: sed semper est actu volens quicquid vult, non solum in se, sed etiam circa creatura. Verbis autem aliis, quæ ex questione 41. i. part. articul. quarto, ad 3. à Recentioribus opponuntur, solum agit D. Thom. de potentia, prout principium physicum actuum est, dum eam in Deo respectu communis intellectus, & amoris negat. Ac solum secundum nostrum modum intelligendi, & significandi concedit, vt ex contextu patet. Rursus opponi posset, non dari ad processionem diuinam (quæ actus intellectus, & voluntatis sunt) potentias notionales, ne vltra quinarium numerum notiones excedant, si vltra processionem diuinam potentia notionales dantur: ergo neque respectu actuum communium scientiæ, & amoris. Sed antecedens est falsum, vt constat ex contr. de Trinit. d. 4. q. 1. ex eius vero opposito non inferri plures quinque notiones esse vidimus eadem contr. d. de notionibus diuinis, quod si inferretur idem etiam ex conceptu processionum inferretur. Denique permisso antecedenti negari consequentia poterat: quia ex ea illud absurdum non deduceretur, quod ex antecedenti deducebatur.

7. Denique opponit Aureolus, atque iudicio Recentium euidenter. Non minus est Deus idem re ipsa cum sua intellectione: quam intellectio nostra cum expressione obiecti, actioque, & vni cum productione, & coniunctione: atqui ob eam identitatem horum non datur vera potentia in intellectione ad exprimendum obiectum, in ratione ad coniungendum extrema, aut in actione ad producendum: ergo neque in Deo ad intelligendum, seu intellectiorem. Respondetur negando minorem. Nam expressio obiecti, & intellectio, vni, & coniunctio extremorum, actio, & productio effectus idem non solum realiter, sed formaliter sunt: ac proinde non nisi ficta potentia in his ad illa mouera, seu actus esse possent. In Deo autem sunt formalitates, & predicata diuina, vt ostendimus, inter quæ sine ficto predicato aliquo, possumus distinguere metaphysicè initibus: Potentia hæc Dei ad intelligendum est potentia, vt sit realiter ipsa intellectio, seu idem cum ipsa intellectione: Hoc autem est potentia logica, cum Dei, tum ipsius intellectus: ergo non est potentia intellectiva à potentia logica differentem. Maior probatur: quia est potentia intelligendi identice, siue per intellectiorem secum identicam, non autem non identicam. Respondetur negando maiorem: Ad cuius probationem dico: potentiam intellectivam non dicere, quatenus, physicam identitatem cum intellectione, neque illam negare, sed ab illa in suo formali conceptu præscindere; licet ex prædicato simplicitatis, quo omnis realis compositio à Deo excluditur, tam potentia, quam reliqua Dei prædicata dicant identitatem cum intellectione, & aliis: ad actum autem identitatis huius nulla in Deo datur vera, & realis potentia, sed logica, vt summum seu rationis quemadmodum, & relatio identitatis vnius cum alio rationis est: cum sit eiudem ad seipsum, quæ non nisi rationis esse possent: vt disertè docet S. Thom. i. part. qu. 28. art. 1. ad 2. Tandem dices: de conceptu potentia, maxime actus necessarij, esse, exigere actum: sed ad realem, & veram exigentiam requiritur inter exigens, & exactum vera distinctio, quæ non est in Deo respectu suæ intellectus: ergo nec vera potentia ad illam. Sed in primis actus omnis verus potiori iure exigit potentiam veram: quare hæc sublata respectu intellectus in Deo, & intellectio auferetur. Respondet: exigentiam propriissimè acceptam, seu physicam veram solummodo esse de conceptu veræ potentia, physicæ, non autem veræ potentia: vt sic, & intentionalis solum: licet exigentia minus propria pro connexionione metaphysica sit de eius conceptu: ad quam satis est vnum conceptum ab alio distinguere, metaphysicè atque ex illo inferri.

Christoph. de Ortega, de Deo Vno. Tomus I.



QVÆSTIO II.

An potentia intellectiva (idem esto de volitiva) veram physicam, & absolute talem respectu sui actus prioritatem habeat?



DE M inquirimus, atque alij his terminis: an deus in Deo vera ratio actus primi respectu suæ intellectus, vel amoris? inquitur autem de vera prioritate, veroque actu primo. Nam de actu primo metaphysico statuta semel vera ratione intellectus potentia, à possibilitate, seu potentia logica intellectus diuersa, dubium esse nequit, quia potentia hæc in Deo metaphysicè præcedat. Sicut essentia metaphysica Dei ea etiam ratione præcedit attributa, eorumque metaphysica radix ab omnibus Theologis habetur. Ea vero potentia ab intellectione metaphysicè distincta admissa his adhuc esse potest, an inter eas vera aliqua, ac non pure metaphysica prioritas, & posterioritas intersit? vel physica absolute talis, de qua hic, vel physica, quam dicunt virtualis, de qua q. 3. vel intentionalis, vera tamen, vt docti Recentiores contendunt. In qua multum de nomine à perique certatur, vt videbimus q. 4.

CERTAMEN I.

Vera physica prioritas absolute talis potentia intellectivæ communis respectu communis intellectus à Deo relegatur.

1. Conclusio est omnium nullo excepto, Theologorum licet enim distinguentes formaliter ex natura rei cum Scoto, vel realiter virtualiter inter diuina prædicata proportionatam suæ distinctionis modo potentiam vere productivam physicè, seu physicè priorem, vel formalem ex natura rei, vel realem virtutem respectu intellectus, & amoris communis defendant, vt videbimus: alij sine addito, vel formalis ex natura rei, vel virtualis, nemo hactenus potentiam intellectivam, aut volitivam physicè, & realiter suorum actuum actuum, & priorem absolute esse asseruit. Ratio est perspicua: quia actiuitas, & prioritas physica vnius respectu alterius est actiuitas, seu prioritas causalitatis, vel originis: aut neutra harum actiuitatum, seu prioritatum inter potentiam intellectivam, aut volitivam Dei, earumque actus esse potest: ergo neque est actiuitas, prioritas realis, & physica earum potentiarum respectu suorum actuum. Minor (quæ sola probationem desiderat) facile ostenditur. Quia nihil sui ipsius actuum realiter, seve ipso prius realiter, vel causalitate, vel origine esse potest (alioquin probandæ distinctionis personarum Trinitatis ratio nulla supererit: cum ea vnicæ sit ex prioritate originis, & processionis vnius personæ ab alia, nec alia à Conciliis, Patribus, & Theologis assignetur) atqui potentia eiusmodi absolute idem omnino physicè, & realiter cum suis actibus sunt: ergo neque eorum actuum physicè, & realiter, eius absolute ita priores esse possunt. Secundo probatur: quia si absolute physicè à potentia, & virtute Dei actiua procederent: cum non procederent originaria, & propria personarum processionem, procederent causaliter: unde & essent creatura, atque non à potentia vitali intellectiva, seu volitiva (vt aduersa sententia adlueret) sed ab omnipotentia procederent.

2. Verum contra hanc catholicam, meque iudice, dogmaticam, conclusionem nonnulla ab autoritate, &

à ratione satis subtilia opponi possunt. Primo Chrylost. hom. 1. de incomprehensibili Dei natura dicens: *Non ex sapientia substantia, sed ex substantia sapientia est*, in Deo nimirum, quibus similia passim apud Patres inueniuntur: atque item Dei essentiam esse principium actuum, radicem, & receptivum intellectus, & volitionis, atque universum attributorum. Hæc autem de principio utroque, & radice metaphysica, non autem physica intelligenda sunt, & modo nostro concipiendi, ut Cyrillus, qui sæpe ita loquitur, pro omnibus respondit. 11. Theol. cap. unico his verbis. *Frustra igitur contenditis nullo modo aliquid accidere Deo posse; cum multa in essentia eius, quasi accidentia concipiuntur: licet accidentia, & effectus essentia verè non sint: ut statim clarius edisserit scribens. Nonnunquam, quasi accidentia, etiam non omnino accidunt Deo, hæc dicere, & mente accidentium modo concipere, nos cogit. Hunc etiam explicatum habent Augustini verba qu. 15. & 16. ex libro octoginta trium. Nempe: Deum esse causam suam sapientiam, atque ex 7. de Trinit. cap. 1. illi, (scilicet Patri) qui est causa, ut sit, est etiam causa, ut sapiens sit, quamvis germanior postremi huius loci sensus sit: Patrem, neque suæ essentia, neque sapientia causam, aut principium, originis adhuc, habere: cum se, & causaliter, & originarie, seu non ab alio sit.*

3. A ratione opponens primo: distinctionem principij, seu potentia actua à suo termino ideo præcisè poni debere, quia realiter sui termini respectiva transcendentaliter est: Dei autem potentiam physicè actuum respectum realiter transcendentaliter esse non debere, ut de omnipotentia supra ostendimus, quam à creaturis, quarum activa physice est, quæque distincta realiter ab ipsa sunt, re ipsa omnino absolutam esse docuimus. Citius ergo potentia Dei, physicè etiam actua ad intra, à suis terminis absolute realiter respectu obest identitas: ac proinde ad terminum secum identificatum re ipsa esse poterunt. Verum non inde probatur necessitas distinctionis realis potentia physicè productiva à termino producendo, quod sui termini realiter transcendentaliter respectiva esse debeat. Hoc enim adhuc in creatis sub lite, & iudice est. Distinctio autem necessaria causæ, aut principij physicè productivi à termino cauendo, & producendo certissima, & indubitata à Patribus, & scholasticis est: quia sublata mysterium Trinitatis sine ratione, ac probatione manebit.

CERTAMEN II.

Subtiliores obiectiones propulsantur.

2. Obiicies iterum à ratione. Datur potentia activa physica, seu principium actuum notionalis respectu processionis, seu actus notionalis, cum quo physicè identificatur in diuinis: ergo & dari poterit in Deo potentia physica actus intellectualis, & volitiva respectu intellectus, & amoris, seu actuum, cum quibus re ipsa, & physicè identificantur. Communis nobiscum in præfati conclusionis sententia solutio est: diuinas processionis alias activas esse identificatas realiter cum personis diuinis producentibus, alias passivas personis diuinis procedentibus realiter identificatas, ut communis Theologi ferunt id quod, licet verum sit, non tamen ut eorum plures reputant dogmaticum, ut ostendimus controu. de Trinit. d. 3. eo vero posito distinguunt antecedens respectu processionis passiva, realiter distincta à principio notionali, utpote identificata cum persona procedente, realiter à producente diuersa, concedunt antecedens respectu processionis activa, cum potentia notionali, & principio producente identificata realiter, negant antecedens: ac subinde consequentiam, in qua inferunt potentiam intellectivam, seu volitivam physicè actiuam esse respectu intellectus, seu amoris ipsis identificati: in quo solum est repugnantia, ut vidimus. Atque hæc sane solutio vera quidem, facilis, & valde probabilis est: cum respectu pro-

cessionis activa potentia activa notionalis communis à Theologis non admittatur.

2. Cæterum cum huius oppositum probabile etiam sit, nobisque verosimilius controu. & d. citatis de Trinit. (dari scilicet potestas notionalis actus physice respectu processionum, etiam actuarum, re ipsa cum illis, & personis producentibus identificatarum) notuius argumenti huius solutionem ex opposita sententia probabiliter (licet magna) pendere. Tum: quia, licet adeo probabilis vera tamen nobis ea sententia non est. Tum: quia nolumus argumenti contra certissimum, ac fere dogmaticum eundemque principium, de impossibilitate productionis eiusdem à seipso, solutionem doctrinæ solum probabiliter inniti: tum denique, quia solutio à nobis in opposita opinione adhibenda vtilem aliis difficultatibus doctrinam exhibebit. Admissio ergo iuxta oppositam nostram sententiam memoratam antecedenti respectu processionum etiam actuarum, neganda est consequenter, ut clarius constet eius argumenti debilitas, atque principij illius de repugnantia productionis physice à seipso, ac proinde & eiusdem ad seipsum physice actiuitatis, veritas inconcussa.

3. Disparitas est: quia actiuitas notionalis physica ad actiuam processionem secum realiter identificatam non est ad eam tanquam ad terminum producendum, inter quem, & potentiam actiuam physicam necessaria est distinctio, ut principium, quod statuimus, & defendimus, docet, atque in mysterio Trinitatis constat; sed solum est ad processionem sibi identificatam, & actiuam tanquam ad viam causalem, vel causalitatis, seu originis. De cuius ratione non magis est à principio, quam à termino re ipsa distingui, ut tuse citata controu. & d. de Trinit. monstrauimus, licet formaliter, & metaphysicè ac nostro concipiendi modo diuersa sit: quia ad instar viæ inter Thebas, & Athenas (ut ait Aristoteles) cogitatur, quæ ab utroque termino, & extremo re ipsa diuersa est. Si autem respectu intellectus, & amoris communis, communis potentia siue intellectiva, siue volitiva activa physice admittatur, ad ea, tanquam ad producenda, atque suæ actiuitatis terminos, comparari debent: atque respectu sui terminus produciendi, nec solum viæ ad producendum terminum vltiorem daretur actiuitas, idemque re ipsa, seipsum physicè produceret (cum vltiori terminus producendus non addit) quod improprie.

4. Dices tamen: cur non posset potentia intellectiva communis comparari re ipsa ad communem intellectiue tanquam ad viam solum. Respondeo facile, & aperte: quia id solum viæ realis causalitatis, seu originis physice, realiter, & verè est, per quam ponitur in rebus aliquid, siue identificatur cum ipsa, siue realiter ab ipsa diuersum, diuersum tamen realiter à potentia physica activa: viam enim realis, ac non ficta eiusdem ad seipsum accipi, nedum esse re ipsa, nequit, intellectu vero, vel amore communibus nihil re ipsa à potentia diuersum ponitur, siue identificatum cum eis actibus, siue ab eis realiter diuersum: ac proinde, si ad illos potentia notionalis actiue physicè comparatur, ad illos non tanquam viam solum, sed tanquam terminum etiam producendum comparanda est: cum non habet terminum vltiorem, ad quem eius potentia actiuitas physica sit: hoc autem repugnat, ut diximus, cum potentia communi, siue intellectiva, siue volitiva, eorum actus re ipsa absolute identificentur.

5. Ex hoc vero occurrit etiam facile alteri obiectioni, quæ ex alia nostra doctrina eiusdem controu. de Trinit. d. 4. q. 2. peti posset. Docuimus enim ibi potentiam notionalis siue proximam, siue remotam, non ita ex communi, & personaliter proximam, siue producentis constitui, ut horum quodvis partialis potentia activa notionalis formaliter sit; sed ita, ut commune (pura intellectiva potentia) de suo conferat energiam, seu virtutem feminalem, & fecunditatem, impeditam tamen, si secundum se spectetur, identitate cum termino producendo; personalitas vero, v.g. Patris, ipsi adiuncta identitè conferat expeditionem: quia, cum à personalitate filij differat, potestatem intellectivam in huius identitatis statu differre eam à filio facit producendo; ex quo illa qualis, qualis energia, & seminalis virtus intrinseca potentia intellectiva communis, cum intrinseca ipsi sit, respectu processionis (quæ intellectu communem etiam constat, ut ibi d. 3. ostendimus) videtur adhuc admittenda: ac proinde aliquis physica actiuitas potentia intellectiva

intellectus communis tanquam via. Respondetur tamen obiectum hanc maiorem vim habere, si in communi potentia intellectiva actiuitatem partialem formaliter admitteremus, ut patet, sed nihil probat.

6. Etenim energiam illam potentie intellectus communis actiuitatem formaliter esse non admittimus, sed partem solum potentie notionalis actiuitatis formalis, eamque energiam impeditam esse per identitatem cum termino producendo, quo impedimento per identitatem cum persona producere liberatur. Si autem eo impedimento liberari non posset per identitatem cum persona à termino illo producendo, sicut impedimentum necessarium, illi esset potentia communis, ita etiam energia, seu fecunditas illa, inchoata, & terminalis adhuc, esset chimærica, & impossibilis: cum autem respectu intellectus communis distinctio realis ab illa impossibilis sit, quia neque per identitatem cum persona producere (cui etiam intellectus communis identificatur) ab identitate reali potentie intellectiva liberatur, atque intellectus, qui communis præcise est, processio actiua, vel passiva non sit, sed ut identificata cum persona producere sit actiua processio, & cum persona procedente processio passiva, & utrumque habeat non respectu sui, sed respectu personæ procedentis, sit plane potentia intellectiua communem, nec secundum se, nec ut identificatam adhuc personæ producenti, esse physice actiua respectu communis intellectus, siue tanquam via, quia ut sic processio non est, siue tanquam termini, quia intellectus communis terminus producendus non est. Licet ut identificata personæ Patris utraque potentia intellectiua ad intellectum ut potentia notionalis actiua physice tanquam ad viam comparari queat.

7. Dominici Recentes, ingenio nobiles, manuscripto de scientia Dei relati à Ribadeneira supra. c. 4. n. 11. admittunt distinctionem virtutis intellectus à cognitione contingenti, seu contingentem in Deo, aiunt saluari posse in potentia hac physicam absolute, & simpliciter actiuitatem, & actum primum respectu eius cognitionis, licet absolute, & simpliciter ratio productionis physice saluari nequeat. Extremum hoc addunt, ne vnicum argumentum distinctionis realis formalis diuinarum personarum ex absoluta, & simpliciter productione, & processione physica earum à Patribus datum vel incurrant, vel euacuent. Sed certe cum non maior distinctio inter producentem, & productum actu, quam inter productum, & producibile requiratur: si ad productum, & producibile absolute, & simpliciter tale distinctio realis virtualis satis est, ad producentem, & productum actu absolute, & simpliciter satis etiam erit: vnde male Patres, & Theologi omnes ex productione, & processione personarum absolute, & simpliciter inferunt absolutam, & simpliciter talem distinctionem: cum hæc inter solum distincta realiter virtualiter, æque ac actiuitas, & producibilis physica absolute, & simpliciter talis, dari queat.

8. Quod autem non maior distinctio inter producentem, & productum actu absolute, & simpliciter tale, quam inter productum, & producibile absolute tale requiratur, probari facile potest. Primo, quia æqua est oppositio relatiua absolute, & simpliciter inter productum, & producibile absolute, atque inter absolute producentem, & productum: ergo tanta est inter illa, atque inter hæc distinctio: quare si ad eam oppositorem relatiuam satis est virtualis distinctio, & ad hanc etiam oppositorem sufficere ex magnitudine enim relatiuæ oppositioris relatiuæ distinctionis oppositorum magnitudo taxatur. Secundo probatur: quia actio non addit causam, & effectui distinctionem, eamque formaliter in ipsis ponit: sed supponit potius, ut in Trinitate etiam euenire ostendimus controu. de Trinit. d. 1. q. 1. certum, & in aliis omnibus omnes censent ad vnum. Quare ex solum in producente, & producto actu distinctio requiritur, etque, quæ in productiua, & producibili esse debet. Tercio tandem: cum vnumquodque eo, quo in se constituitur intrinsece, ab omni alio, quod ipsum non est, distinguatur, nequit ex actuali productione distingui magis, quam per suam entitatem distinguatur ab alio: licet ex productione bene inferatur distinctio productionis proportionata eorum, ut si absoluta, & simpliciter talis productio physica sit, absoluta, & simpliciter talis principii, & termini secundum se, & in terminis suis entitates distinctio realis arguitur: si autem

virtualis, eorum etiam virtualis distinctio.

9. Cuius ratio est: quia, cum nihil possit producere seipsum eo ordine, & genere, quo productum est, identitatem cum illo excludit, atque ab eo dicitur distinctio, si realiter formaliter, realem formalem; si solum virtualiter productum illius est, realem solum virtualem: ex quibus constat Recentes istos non ita sartam, tectamque rationem Patrum pro personarum distinctione, atque ipsi putabant, volebantque seruare. Constat etiam, eo absurdo omisso perperam philosophatos esse, cum pro absoluta, & simpliciter tali actiuitate sufficere distinctionem virtualem principii à termino putarunt: atque inconsequenter eam ad productionem absolute, & simpliciter talem negasse. Et quidem principii, & causæ actiue, & simpliciter talis, à principio, & causæ actiue secundum quid distinctio in eo solum stat, quod illa possunt agere, seu sunt principia operandi absolute, & simpliciter; hæc vero sunt principia operationis solum secundum quid. Quare implicat actiuitati potentie intellectus Dei respectu intellectus solum respondere virtualem productionem.

QVÆSTIO III.

Num in potentia intellectiua, aut volitiua Dei physica actiuitas, & prioritas cum addito formalis ex natura rei, vel virtualis admitti queat.

REICTA à Dei intellectu, & voluntate, absoluta, & simpliciter tali actiuitate, & prioritate respectu suorum actuum quæstioni huic inter Recentes celebres locis proximus est.

CERTAMEN I.

Authorum sententiæ.

1. **A**ctiuitatem physicam, aut productionem formalem ex natura rei, vel virtualem non hic intelligimus coniunctionem identicam potentie intellectus cum intellectione, quarum prima in creatis actiua physice secunda est; hæc vero à prima producta. Si enim ita virtualis, aut formalis ex natura rei actiuitas, & productio intelligatur, nequit Deo negari, sed est impropria earum vocum usurpatio. Si enim nomen virtualis prædicari, siue distinctionis, siue actiuitatis, siue actionis, siue alterius cuiuspiam, ita accipi cum proprietate valeat, innumera prædicata Deo indigna, & absurda cum addito *virtualis*, seu *formalis ex natura rei* ascribi poterunt, quæ sese persequitur, & recenset Alarcon ubi hoc sensu à se intellectam virtualem prædicatorem Dei distinctionem à Recentioribus assertam confutans mille eiusmodi absurdorum exemplis eam distinctionem infestat. Illum igitur adeat lector, ne in re certæ æmulus inutiliter consumatur. Et hoc sane sensu Becan. tract. 1. c. 1. q. 1. num. 9. potentiam intellectiua virtualem realem ad summum admisit. Me autem iudice solum admisit eius ab intellectu realem virtualem distinctionem, ex qua realis virtualis actiuitas minime deducitur, ut statim ostendam.

2. Verum non adeo facile sensus Doctorum eiusmodi actiuitatem physicam, vel formalem ex natura rei, vel virtualem potentie intellectus, aut volitiue in suos actus intellectus, & amoris, in vnum coegetur. Ut ex Arrubalis, & aliorum alio, & alio sensu recitando constabit. Germanior est, qui eam ad modum distinctionis, siue formalis ex natura rei, siue virtualis exponit, ut productio, & actiuitas inter eiusmodi potentias, earumque actus sit: formalis quidem ex natura rei, quæ res absolute, nec physice